DE OFFICIO PII AC PVBLICAE TRANQVILLITATIS VERE AMANtis uiri, in hoc Religionis diſsidio.

Reperies in hoc ſcripto, Lector, non ſolùm expeditiſsimam controuerſiarum, quibus miſerè adeò laborat hodie Eccleſia, componendarum rationem: ſed etiam, quo pacto veræ pietatis atq; cõcordiæ Chriſtianæ ex animo ſtudioſus, durante iſto diſsidio, optimè ſe gerere in quauis Republica poſsit ac debeat.

ADIECTA EST.

Defenſio eiuſdem libelli, aduerſus iniquum & importunum caſtigatorem.

AVCTORE *Veranio Modeſto Pacimontano.*

Additur pars illa ex ſcriptis aduerſarijs, cui in hac defenſione reſpondetur.

Anno M. D. LXII.

DE OFFICIO PII VIRI IN HOC ECCLESIAE DISSIDIO.

NON ignoro permultos esse, qui in hoc miserabili Ecclesiæ dissidio, quo ferè hodie Christianus orbis colliditur, uehementer angantur animi, & tanquam inter duos scopulos nutent & remigẽt: qui cum saluti suę consultum uelint, quid fugiant uident, quò autem fugiant uidere nondum potuerunt. Quæ cogitatio ipsa me quoq; iam olim exercuit, & tãquam procella huc illuc impulit: donec tãdem portum aliquem, in quo acquiescã, reperisse mihi uideor. Itaq; quæ mea in hoc perplexissimo negocio sententia sit, non grauabor breuiter & dilucidè explicare: tum ut huius instituti & propositi mei rationem, pietatis & æquitatis studiosis hominibus reddam: tum etiam, ut iis qui eadem cogitatione iactantur, exemplum quod (si placet) sequi possunt, proponã. In primis hoc testatum uolo, me hanc uiam, quã in quæstionibus & controuersiis Religionis sequor, non alia de causa suscepisse, quàm quòd eam post longam & diligẽtem inquisitionem, rectissimam & tutissimam esse iudicem: eamq; ad pacificationem & concordiam constituẽdam, quàm accommodatissimam esse putem. Rogatos autem uolo eos qui in hoc scriptum incident, ut quo animo eos fero qui à me in nonnullis rebus dissident, modò in fundamentis Religionis nostræ consensio sit, eodem animo me quoq; ferant, alicubi fortè ab iis dissentiẽ-

tem: quod meâ pĩs & æquis uiris impetraturum confido.

Equidem iam inde ab adolescentia constitutionum & Cæremoniarũ Ecclesiasticarũ obseruantissimus fui; sic tamen, ut natura, uel diuino potius impulsu, omnem superstitionem, quam tum utcunq; deprehendere uidebar, uehemẽter detestatus sim. Mox itaq; cum in lectionem scriptorum huius ætatis, qui reformationem quandam & repurgationem superstitiosorum cultuum & absurdarum opinionum promittebant, inciderem, mirè illorum institutum placuit: qui tamen ita superstitiones & abusiones quæ nõnullis Cæremoniis Ecclesiasticis admixtæ erat, exosas haberem, ut ipsam Ecclesiasticam politiam quæ his Cæremoniis ferè constat, non sublatam & euersam, sed repurgatam & emendatam esse uellem.

Postea ætate & iudicio accrescente, uisi sunt mihi in his abusibus & corruptelis notandis & insectandis nonnulli ὑπὲρ τὰ δέοντα prosilire: idq; illis accidere, quòd iis qui cum putres & corruptas corporis partes præcidere uolũt, etiam sanam partem, & quæ sine corporis graui offensione & læsione tolli non potuit, inuadunt: nõ paucos etiam scabie, ulceribus & uitiis corporis offensos, ipsius corporis odium concepisse, & procuratoribus, hostis & insectatoris personam induisse.

Itaq; putaui, mihi & eorum scripta, quos illi ut aduersarios inuadebant, eadem diligentia perlegenda, & pari attentione & iudicii æquitate inter se conferenda: in quibus aduersariis, ut in æstu contentionum accidit, nonnul

nulla quoq; offendebant. Nam mihi quidem ita uidebatur, ut illos odio uitiorum, etiam quæ ſana, aut certè medicabilia erant, præcidenda & remouenda contendiſſe; ita hos contrà, cęco quodam amore coporis etiam uitia & morbida, tanquam ſana & benè habentia, tuenda ſuſcepiſſe.

Cum igitur utriq; à regia uia, hi quidem in dextram, illi uerò in ſiniſtram nonnihil deflexiſſe uiderentur, ad ipſam directam regiamq; uiam inquirendam mandato diuino me cogi & impelli putabam. Quare ut certius aliquid de hac re cognoſcerē, & certum aliquod firmumq; iudicium de his controuerſiis compararem, ſtatui mihi ab omni partium ſtudio abſtinendum, & perſonarum præiudicium ſeponendum, libertatemq; iudicandi (quæ niſi exuta partium & perſonarum affectione conſtare non poteſt) retinendam.

Itaq; mihi iudices & arbitros in hoc difficillimo & arduo negocio adeundos, & conſulendos eſſe putaui: nullumq; firmius & certius iudicium inueniri, quàm ſi ipſa Scriptura ſacra, eiusq; uera & ſana intelligentia proponatur. Satis enim deprehendebam, non nudum ipſum Scripturarum contextum, ſed ipſarum Scripturarum intelligentiam, in quæſtionibus Religionis diiudicandis adhibendam & cōſulendam. Primò, quia Apoſtoli doctrinam Chriſti, quæ compendio his ſcriptis continetur, multo pluribus uerbis, populis ad quos deſtinati erant, expoſuerunt & explicarunt: tum etiam quòd hæreſes,

quæ mox ab Apoſtolorum è uita exceſſu extiterũt, cum pleræq; Scripturam ipſam iam ab omnibus receptam, negare non poſſent, de intelligentia tantum Scripturæ quęſtionem mouebant. Quare non uerbis, quę illis cum orthodoxis cõmunia erant, ſed uera intelligentia & ſcientia diuinarum literarum confutandi erant: quę intelligentia petenda erat à cõmuni conſenſu & publico teſtimonio omnium Eccleſiarũ, quibus doctrinã à Chriſto acceptam tanquã depoſitum quoddam Apoſtoli commendarũt. Nam qui nobis initiò ueram hanc & germanam eſſe Chriſti & Apoſtolorum doctrinã, quæ iis ſcriptis continetur, ſuo teſtimonio approbarunt: iidem ſanè & mentem ipſam & intelligentiam eorundem ſcriptorũ, quam ex uita ipſa & ampliſsima Apoſtolorum doctrina acceperant, poſteris tradiderunt.

Irenæ. lib. 3. cap. 2. & 4. Tertull. de Præſcrip. hæret.

Atq; hæc eſt, quæ Catholica traditio et ueritas non ſcripta à nonnullis appellatur. Quanquam in iis quæ fidei quæſtiones attingunt, nihil eſt quod Scripturis ſacris non aliquo modo contineatur: cum hæc traditio nihil aliud ſit, quàm Scripturæ ipſius explicatio et interpretatio; ita ut non ineptè dici poſſet, Scripturam eſſe implicatam quandam et obſignatam traditionẽ, traditionem uerò eſſe Scripturam explicatam et reſignatam.

Nõ ineptè igitur Vincentius Lyrinenſis, qui ſub ætatem Auguſtini uixit, cũ iam multæ et uariæ hæreſes Eccleſiam uexarant, et exercuerant, eum qui ſe aduerſus hæreſes omnes munitum et tutum eſſe uelit, hæc duo ſibi

proponere debere cõfirmat: Canonicam auctoritatem, et Catholicam traditionem. Non, quin Canonica auctoritas ſufficiat; ſed quòd Scripturæ uerba in uarias ſententias ab impiis et imperitis hominibus diſtrahantur. Quare certam aliquam ſententiam conſtituendam, quæ à Catholica traditione petatur. Quæ quidem Catholica traditio tribus notis deprehendatur: antiquitate, uniuerſitate, et conſenſione.

Huius intelligentiæ ex Catholica traditione, id eſt antiqua, perpetua et uniuerſali conſenſione neceſsitatem, hodie quoq; deprehendimus. Nam, exempli cauſa, hæc uerba In principio erat uerbum, quin ab Apoſtolis ſcripta ſint, nemo inficiatur. De intellectu autem huius uocis VERBVM, ingens certamen eſt: et qui diuerſam ab Eccleſia ſententiam ſequuntur, non minus probabilibus rationibus nituntur. Nos autẽ ex perpetua hac traditione, et antiquiſsimorum patrum concordiſsimis ſcriptis, et ueterum Cõciliorum grauiſsimis decretis ad nos uſq; propagata, per λόγον non propoſitum aut διαιθέσιν, non ideam quandam et formam in mente diuina, ſed perſonam et ὑπόσασιν ſignificari credimus. Idem accidit in his uerbis, Verbum caro factum eſt: Ego et pater unum ſumus: et multis ſimilibus, quæ explicare longum eſſet.

Cum autem quæſtionum religionis duo ſint genera, quarum aliæ doctrinam, aliæ diſciplinam et Cæremonias ſpectant: quod ad prius genus attinet, Primum eam doctrinã ut ueram et Catholicam habendã eſſe iudico, quæ

quæ ſacris literis eſt expreſſa: Deindè, quæ ex mente & intelligentia earúdem literarum ab ipſis uſq; Apoſtolorum temporibus eſt tradita, & per ſucceſsionem ad nos uſq; derivata, quarum utramq; pari fidei integritate amplectendam duco. Tertiò loco eſt, quæ ab omnibus Eccleſiis, uel maiore certè parte eſt recepta, & probabilibus rationibus è ſacris literis confirmata, hāc quoq; pio cuiq; ſuſcipiendam exiſtimo: quamuis ingenioſis hominibus rationes occurrere poſsint, quibus probabiliter refutetur. Quartò loco quæſtionum quoddam genus eſt, quæ neq; tam claris Scripturæ teſtimoniis, neq; tam antiquo & magno conſenſu Eccleſiæ nituntur: tamen poſterioribus temporibus, in hac præcipua Occidentali Eccleſiæ parte conſtitutæ & receptæ ſunt: quæ cùm diuinis literis manifeſtè non repugnent, in earum confutatione neq; pugnaciter agendum, neq; ea de cauſa Eccleſiarum pacem perturbandam puto. Quòd ſi ſententia aliqua iam omnino recepta & firmata, minus probabilis uideatur, de ea tamen non paſsim & odioſè contendendum, ſed cum eruditis & moderatis uiris placidè inquirendum & diſceptandum exiſtimo. Quæ autem certorum hominum quamuis doctorum, probabilibus diſputationibus aſſeruntur, ita ut alii aliter de iisſentiant, libera m cuiq; quid uelit ſequendi poteſtatem eſſe conſtat. Si quæ uerò ſententiæ & diuinis literis, & ueteris Eccleſiæ traditioni aduerſæ: & per errorem uel imperitiam, uel etiam ambitionem poſtremis his & corruptiſsimis temporibus in-

uectæ

uectæ uidentur, eas ut fermentum uitandas et cauendas non nego: sic tamen, ut priuato homini temerè apud quoſuis de iis contendendum nō putem, ubi certa offenſio, profectus & utilitatis nulla ſpes. Itaq; prudentiā eam Chriſtianam hic adhibendam, ut non temerè & paſsim ubiq; dicas quicquid ſentias, neq; tamen unquam dicas cōtrà quàm ſentias: ubi uerò gloria Dei uel proximi utilitas poſtulat, liberè & conſtanter dicas quòd ſentias.

De Cæremoniis uerò quæ ordinis in Eccleſia conſeruandi, uel diſciplinæ in populo conſtituendæ cauſa inſtitutæ uel uſu receptæ ſunt, ita ſtatuo: Cæremonias quę à Chriſto ad colligendam noui populi ſocietam inſtitutæ ſunt, quę Sacramenta uocantur, caſtè & integrè obſeruandas, nihil eorū inſtitutioni tanquam mutilatis & imperfectis addendum, neq; ut ſuperfluis detrahendū. Interim Apoſtolis eorūq; ſucceſſoribus ius poteſtatemq; conceſſam credo, ut pro tempore & utilitate Eccleſiæ ritus quoſdam & Cæremonias inſtituerent, quibus in publicis Eccleſiæ cōuentibus ſacramenta illa diuinitùs inſtituta adminiſtrarentur: tum etiam, quibus diſciplina populi tanquam politicis quibuſdam legibus, ſine quibus ſocietas nulla cōſiſtere poteſt, regeretur & contineretur. Ex iis autem ritibus et Cæremoniis quædam per uniuerſum orbem ſumma conſenſione iam inde ab ipſis Eccleſiæ initiis obſeruatæ, et ad nos uſq; ſunt propagatę: quarum cum rationes perpetuæ ſint, perpetuam quoq; obſeruantiam eſſe conuenit. Quare traditionum Apoſtoli-

ſtolicarum & conſuetudinum uniuerſalium appellatione commendantur. De iis aſſentior B. Auguſtino, ſcribenti ad Ianuarium: In obſeruatione Eccleſiaſticarum conſuetudinum, hanc rationem tenendam, ſi quid Scripturæ diuinæ præſcribit auctoritas, non dubitandũ eſſe, quin ita facere debeamus, ut legimus. Similiter ſi quid horum tota per orbem frequentat Eccleſia, hoc quin ita faciendum omnibus ſit diſputare, inſolentiſsimæ eſſe inſaniæ. Huiuſmodi maiorũ conſtitutiones obſeruãdas eſſe, ex Apoſtolicis actis diſcimus: ubi legimus, Paulum, & ei adiunctos, nõ tantum expreſſa Dei mandata oppidatim docuiſſe, uerùm etiam obſeruari tradidiſſe decreta quæ ab Apoſtolis & ſenioribus erant ordinata.

Epiſt. 118.

Actor. 16.

Illud tamen uerum eſt, ex iis qui olim per uniuerſum ferè orbem obſeruabantur, ritibus, quoſdam aut quia nõ tantum momenti habere putabantur, aut temporum cõmutatione utiles eſſe deſierant, aut intemperantia populi in abuſionem uenerant, paulatim deſuetudine eſſe abrogatos. Nec inficior, alios quoq; eiuſdem generis etiam hodie publica auctoritate, modò id quàm minimo ſcandalo fiat, abrogari poſſe. Nonnulli quoq; adhuc antiquiſsimi ritus in Eccleſia reliqui ſunt, quorum hucuſq; ueſtigia, & tanquam lineamenta ſeruantur, quamuis ab ipſo fine & uſu ad quem initiò inſtituti ſunt, nõnihil deflexerint: quos tamen, donec legitima auctoritate aut priſco ſuo fini reſtituantur, aut etiam ex uſu remoueantur, pacis & unitatis ſtudio obſeruandos exiſtimo. Contrà,

erã, nonnulli ritus olim uniuerſales, & ſumma religione ut Apoſtolicæ traditionis obſeruati, tandem paulatim obſoleuerũt; quos, ut ego quidem exiſtimo, in uſum rurſum reuocari per legitimam auctoritatem, quàm minima fieri poſsit perturbatione, conueniat.

Sunt & alii quidam ritus certarum Eccleſiarum proprii, ſed longa conſuetudine confirmati, qui per loca terrarum regionesq; uariantur. De iis regulam à B. Auguſtino præſcriptam tenendam ſentio: Quod neq; contra fidem, neq; contra bonos mores iniungitur, indifferenter eſt habendum, & pro eorum inter quos uiuitur ſocietate ſeruãdum. Item ad Caſulanum: In iis rebus de qbus nihil ſtatuit Scriptura diuina, mos populi Dei uel inſtituta maiorum pro lege tenenda ſunt. De quibus ſi diſputare uoluerimus, & ex aliorum conſuetudine alios improbare, orietur interminata luctatio. Et poſtea: Sit ergo, inquit, una fides uniuerſæ quæ per orbẽ delatatur Eccleſiæ, tanquam intus in membris, etiam ſi ipſa fidei unitas quibuſdam diuerſis obſeruationibus celebretur, quibus nullo modo quod in fide uerum eſt impeditur. In eandẽ ſentẽtiam B. Hieronymus ſcripſit Lucinio: Traditiones Eccleſiaſticas, præſertim quæ fidei non officiunt, ita obſeruandas, ut à maioribus traditæ ſunt, nec aliorum conſuetudinem aliorum contrario more ſubuerti.

Non tamen prætereundum hoc loco eſt, quod eidem Ianuario ſcripſit Auguſtinus: Quę ſcripturis non continentur, nec in cõciliis ſtatuta nec uniuerſali cõſuetudine Epiſt. 119.

confirmata, sed pro regionum et hominum moribus uariantur, oblata facultate resecanda sunt, etiamsi fidei non uideantur aduersari: quia religionem quam Christus liberam esse uoluit, seruilibus oneribus premunt.

Illud autem in primis obseruandum est, in his ritibus & obseruationibus multis modis uitium accidere posse. Vno modo, cum iis ritibus quorum bonus usus esse potest, falsa opinio & alienus finis adfingitur: quæ opinio cum in animis hominum & non rebus ipsis insita sit, recte sentienti legitimeq; utenti præiudicare non potest. Aliquando ritus ad pium usum instituti, superstitione populi in abusum uertuntur: qui abusus publica auctoritate tollendi, priuata autem cautione uitandi sunt: bonus autem usus, si quis est, retinendus.

Bonus usus, non tollitur propter abusum.

Scitè dictum est à quodam scriptore Italico nostra ætate: Tanti nō debet esse ullus abusus, ut propter ipsum tollatur bonus usus. At magis pro cōseruando bono usu, corrigendi sunt abusus, si qui sint in Ecclesia. Quanquā hæc superstitio usq; eò inualescere potest, ut publica auctoritate rem quoq; ipsam, cui superstitio adiuncta est, è medio tolli conueniat: ut de æneo serpente ab Ezechia rege factum legimus.

Nonnullæ quoq; huius generis constitutiones sunt, quæ quamuis exiguum usum habere uideantur, tamen unitatis retinendæ et scandali uitādi causa seruandæ sint. Aliæ eius generis sunt, ut cum plerūq; utiles esse possint, tamen non rarò tempus incidit, ut priuatim eorum obser-

ſeruatio uel impoſsibilis uel noxia ſit: ut in ieiuniis et delectu ciborū haud rarò ægrotis et debilibus accidit. Hic à uerbis ſtatuti ad mentem inſtitutoris et Eccleſiæ confugiendum eſſe non dubito. Non diffiteor tamē, poſtremis hiſce temporibus, unà cum ignorantia, auaricia et ambitione, ſuperſtitioſos quoq; nonnullos cultus et ritus in Eccleſiam irrepſiſſe, ita ut uitium ipſis rebus inhæreat, ipſorumq; obſeruatio fidei integritati officiat. Hos ut publicè per eos quorum in Eccleſia ſumma poteſtas eſt, tollendos: ita priuatim cuiq; uitium agnoſcenti cauendos, neminem inficiaturum puto.

In horum autem rituum diiudicatione dupliciter error accidere poteſt. Primùm, ſi nimio odio ſuperſtitionis, ii ritus qui tolerari, citraq; impietatē ſeruari poſsint, pro noxiis et impiis temerè damnentur et abiiciantur. Rurſum, ſi cæco cæremoniarum amore, et inconſiderato Eccleſiaſticę poteſtatis zelo ſuperſtitioſi et impuri ritus pro religioſis et ſanctis defendantur & exigātur. Quę tamen diiudicatio homini in rebus Eccleſiaſticis utcunq; uerſato, nulloq; partium aut perſonarum ſtudio præpedito, haud ita difficilis erit.

Hæc de doctrina & Cæremoniis ſententia mihi poſt diuini ſpiritus implorationem, harumq; controuerſiarū ſepoſitis partium ſtudiis ad arbitrium diuinarum literarum & antiquæ perpetuæq; traditionis quæ in uetuſtis patrum ſcriptis & conciliorum antiquorum decretis extat, explorationem, uera, Chriſtiana, Catholicoq; homi-

ni pacisq; & Ecclesiasticæ unitatis studioso digna & conueniens uisa est.

Cum igitur in hac Ecclesia Occidentali siue Romana, in qua nati, & in Christo regenerati, cuiusq; per baptismũ (quantum ad externam conuersationem) ciues et membrum effecti sumus, professio Christiani nominis, Scripturarum auctoritas, & doctrina illa Apostolica, quod ad capitales Religionis articulos attinet, retineat, sacramentaq; ut sunt à Christo instituta seruentur, (quamuis in Eucharistiæ celebratione & dispensatione nonnihil uitii uideri possit) & in multarum Cæremoniarum & rituum obseruatione priscæ adhuc Ecclesiæ imago in ea cõspiciatur: adhęc perpetua presbyterorũ seu Episcoporũ quãuis multum à prisca integritate degenerantium, iam inde ab Apostolis successione gubernetur; hanc inquam Ecclesiam ut ueram Ecclesiam & domum templumq; Dei, magnæq; illius & Catholicæ Ecclesiæ non contemnendum membrum, non possum non amplecti & uenerari. Quãuis non inficior, eandem illam Ecclesiam à prisco suo illo decore & splendore non parum diuersam, multisq; morbis & uitiis deformatam, nõnunquam & gubernatorum tyrannide miserabiliter pressam.

Porrò hæc ideo huic externæ societati, quam Romanam uel Occidentalem Ecclesiam uocamus, attribuo, quòd in ea Dei uerbum eiusq; sacramenta seruentur, & ingens (uti spero) electorũ multitudo, qui reuera Christi Ecclesiam & sponsam constituunt, intra eam contineã

neatur: quamuis permulti, iiq; illustres in ea societate sint, imò regnum & gubernationem obtineant, qui ad Christi Ecclesiam minimè pertinent, atq; adeò Christi eiusq; doctrinæ hostes sunt, ac tanquam alieni in ea tyrannidem exercent.

Pulchrè Augustinus, alios ita esse in domo Dei ut ipsi etiam sint eadem domus Dei, quæ dicitur ædificari supra petram: alios uerò ita dici esse in domo ut non pertineãt ad compagem domus, nec ad societatem pacificæ fructiferæq; iusticiæ, sed sicut esse dicitur palea in frumẽtis, &c. Et alibi: Sunt, inquit, et intus hostes Dei, quorũ pectora obsedit spiritus Antichristi: et tamen gerunt spiritualia et diuina, &c. Quare quæ in hac Ecclesia, sana et uerè Ecclesiæ Christi consentanea sunt, religioſè amplector: quæ nonnihil uitiata, modò non impia, cum tollere nõ possum, pacis causa tolero. Si qui autem grauiores morbi sunt, qui omnino medicationis indigeant, contagionem ita uito, ut tamen corpus ipsum non cum acerbitate insectandum, sed summo cum animi dolore commiserandum, & si qua fieri potest opitulandum esse putem.

De unic. baptis. lib. 7. cap. 51.

Ibidem li. 4. cap. 13.

Interim tamen eos damnare non possum, qui in fundamentis Apostolicæ doctrinæ persistentes, studio sinceræ Religionis, cũ aliqua correctionis indigere, ab eruditis & piis uiris admoniti intelligant, in aliqua Ecclesiæ parte, præeunte summa auctoritate, accedente cõmuni illius Ecclesię consensu, in doctrinę genere aliqua repurgarũt: & Cæremonias aliquot etiã uetustiores, cũ id populi magna

magna utilitas & propè neceſsitas exigat, auferendas, aliasq; pietati & diſciplinæ conuenientiores ſufficiendas eſſe putant: modò id quàm minimo ſcandalo & perturbatione fiat, & communio ſpiritus & uinculum pacis cum reliquo Eccleſiæ corpore cõſeruetur. Quis enim membro uitio uertat, ſi reliquo corpore laborãte, & ſui curam negligente, ipſum ſui curã ſuſcipiat? non ut reliquo corpori inſultet, ſed curandi exemplum præbeat, & ad imitationem inuitet?

Eos igitur qui in his cœtibus ita uerſantur, ut nihil aliud quàm Chriſti gloriam & Eccleſiæ eius inſtaurationẽ quærant, totoq; animo ad eccleſiæ pacem et unitatem incumbant, et cum reliquo Eccleſiæ corpore, etiamſi quadam rituum et opinionum diuerſitate diſcrepent, charitatis tamen uinculo colligentur, à Chriſto capite & corpore eius, quod eſt Eccleſia, ſeparare & remouere nõ poſſum: quamuis à nõnullis, omnem Eccleſiæ inſtaurationem & reformationem uel inconſiderato zelo, uel priuato animi morbo aſpernantibus, ut hæretici, ſchiſmatici, & Eccleſiæ hoſtes traducantur & condemnentur.

Illos uerò probare minimè poſſum, qui ita à Romanæ Eccleſiæ abuſibus & corruptelis recedere uoluerunt, ut ab ipſa Eccleſia defeciſſe, ſeq; ab omni eius conſortio & communione ſeparaſſe uideantur. Quare non ad eã medicandam & inſtaurandã, ſed perdendam potius et euertendam, omnia ſua ſtudia conferre uidentur. Quemadmodum rurſum in iis qui Romanæ Eccleſiæ gubernatores

tores & propugnatores haberi uolunt, illud improbandum existimo, quòd morbũ nullum agnoscunt: & quod huic rei consequens est, remedia non admittunt: immò de correctione admonentes, & ad curationem exhortãtes, operamq; suam ad id efficiẽdum offerentes, nõ modò reiiciunt, & ab Ecclesiæ societate depellunt, uerùm etiam multis in locis crudeliter interficiendos censuerunt: quæ res huic miserabili schismati occasionem dedisse uidetur.

Neq; tamẽ satis causæ est, cur huic cœtui Ecclesiæ Catholicæ nomen detrahatur, quòd multi qui eam gubernant, rectè monentes persequantur. neq; enim id Ecclesiæ tribuendum est, quod falsorum & infidelium gubernatorum uitio committitur. Nam & in Euangelio ser- Luce 12.
uus infidelis super familiam Dei constitutus legitur, & Christus de Hierosolymitanis queritur, quòd occiderint prophetas, & lapidauerint eos qui ad se missi fuerant: cuius tamen Ecclesiæ communionem & antè Prophetæ, & Christus ipse, piiq; ætate Christi homines (ut Zacharias, Simeon, Anna, Maria, Iosephus) non defugerunt.

Neq; errores tum doctrinæ, tum humanarum traditionum, qui in ea obtinuerunt, ad auferendum Ecclesiæ titulum sufficiunt: cùm in Ecclesia Hierosolymitana, in Pontificibus & Pharisæis, qui eius gubernationem tenebant, huiusmodi errores Christus ipse notarit & reprehenderit, cum à fermento Scribarum & Phariseorum cauendum monet, & eosdem seuerè increpat quòd irritum

faciãt mandata Dei propter ſuas traditiones: nec obſcurè eos inſimulat, quòd fruſtra ab ipſis colatur, doctrinam & mandata hominum docẽtibus. Idem tamen Chriſtus admonet ſuos, ut in cathedra Moiſi ſedentes, id eſt ſumma auctoritate & poteſtate in Eccleſia Dei ex inſtituto Moiſi fungentes, audiant, rectè ex præſcripto diuinæ legis monentibus pareant: quamuis opera illorum, doctrinæ quam profitentur, minimè conſentiant.

At dicunt nonnulli. è uera quidem Eccleſia prodiiſſe Papiſtas, quos uocant, ſed per falſas & nouas opiniones & impios cultus ab ea defeciſſe: quare ab iis tanquam ab Antichriſti Eccleſia & diaboli Synagoga, quàm longiſſimè ſecedendum, nullamq; cum ea communionem habendam.

Verùm illud mihi uide an non longè aliud ſit, à puritate et ſinceritate tum doctrinæ tum morum, qua uetus & primitiua Eccleſia floruit, degeneraſſe: aliud ab ipſa ueteri Eccleſia prorſus defeciſſe: Eccleſia enim ab ipſo fundamento quod eſt Chriſtus pro nobis mortuus et reſuſcitatus, æſtimanda eſt: cui fundamento ſi poſteri pro auro & argento et lapidibus precioſis, lignum, fœnum & ſtipulam ſuperſtruxerint, non tamen continuò à fundamento receſſerunt. Et riuulus, tametſi longo curſu, contracto limo & ſordibus, nitorem illum & puritatẽ quæ in ipſo fonte, aquaq; fonti proxima ſpectatur, coinquinauerit & conſpurcarit: nõ tamen à fonte alienus & ſeiunctus habetur: ſed ibi curandum, ut pro ligno, fœno & ſtipula, aurum,

aurum, lapides & gemmæ in eodem ædificio, superq; eodem fundamento reponãtur: & hic, ut aqua riui quæ potisimùm è fonte profluxit, seruata eadẽ scaturigine quoad fieri potest, à limo & sordibus repurgetur.

Contrà autem, quòd omnes ii qui ob reprehensionem nonnullorum abusuum initio reiecti, conscientiæ impulsu in ratione docendi & forma ministerii aliquid immutarunt, ab Ecclesia defeciſſe dicuntur, & inter hæreticos & schismaticos numerantur: uidendum est, quàm id rectè et iustè fiat. Totus enim Christus caput est, et corpus. A' capite non receditur, nisi per falsam & Scripturis sacris dissentaneam de capite Christo doctrinam: à corpore uerò quod est Ecclesia, non per quamuis rituum & opinionum diuersitatem, sed per solam charitatis defectionem.

Quare, ut antè quoq; dixi, qui recta sententia de Christo, capiti iunguntur: & charitatis et pacis uinculo, etiamsi opinionibus quibusdam & ritibus discrepent, reliquo Ecclesiæ corpori cõnectuntur: nullo modo ut schismatici & ab Ecclesia alieni habẽdi sunt, etiamsi ab alia Ecclesiæ parte potentiore, & gubernationem obtinente reiecti, et ab eorum societate & communione separati uideantur. Neq; enim quæuis reiectio & separatio schismaticos facit, sed initia separationis & causæ spectandæ sunt: non enim separatio facit schisma, sed causa.

Hæc de iis tantũ loquor, qui hanc separationẽ iniquè ferunt, & omnibus uotis pacem et conciliationem de-

sideranr, & à quibus quadam ex parte externa communione separantur: fidei tamen & charitatis uinculo coniunguntur, & ad omnem consensionem & communionem parati sunt, quam diuinis institutis & mandatis non aduersari arbitrantur.

At dicas, perpaucos esse hoc animo præditos. Plerique enim ex iis qui sibi ab Euangelio nomen sumpserũt, eam partem quæ uetus Catholicorum & Romanæ Ecclesiæ nomẽ retinet, prorsus aspernantur, omnemq; eius communionem defugiũt, nec ut membrum eiusdem corporis amore & misericordia prosequuntur, sed ut Satanæ & Antichristi corpus abominantur. Scio id equidem, & doleo: & qui eiusmodi sunt, quomodo ~~à schismatis nota~~ eximi possint, non uideo. Id certè scio, principes aliquot illius partis, atq; adeò ipsum ducẽ, qui primus ad repurgandas sordes Ecclesiæ facem prætulisse uidetur, longè aliud non uno in loco scripsisse, ex quibus locis, quamuis id sit præter breuitatis institutum, unum & alterum subiiciam.

In exusatio ne quorundã articulorum.

Quãuis, inquit, heu dolor, Romę peius agatur quàm conueniret, tamen nulla causa tam grauis est, aut erit unquam, qua meritò se quis ab illa separare debeat: imò quanto peius Romana Ecclesia habet, tanto magis illi & accurrendum & succurrendum fuerit, eiq; magis inhærẽdum: nam discessionibus nihil proficies. Adde, quòd Christus propter diabolũ deseri non debeat. Et in disputatione Lypsiensi: Nunquam, inquit, mihi placuit, nec in

æternum placebit quodcunq; ſchiſma. Iniquè faciũt Bohemi, quòd ſe auctoritate propria ſeparant à noſtra unitate, etiamſi ius diuinum pro eis ſtaret: cum ſupremum ius diuinum ſit charitas, & unitas ſpiritus. Et alibi: Bohemorum diſsidium ab Eccleſia Romana nulla poteſt excuſatione defendi, quin ſit impium, & contra charitatem. Nam hoc quòd unicè allegant, ſeſe timore Dei & conſcientiæ defeciſſe, ne inter malos ſacerdotes & Põtifices uiuerent: hoc eos maximè omniũ accuſat. Si enim illi mali ſunt, & tu uera charitate ferueres, nõ defugeres: ſed etiamſi in extremis maris eſſent, accurreres, fleres, moneres, argueres: nunquid & nos qui ferimus onera, & ferè importabilia monſtra Romanæ curiæ, ideò fugimus & diſcedimus? Abſit, abſit. Reprehendimus quidem et deteſtamur, oramus, monemus: ſed non ſcindimus ob hoc unitatem ſpiritus, non inflamur aduerſus eam, ſcientes quòd charitas ſuper omnia eminet. Idem in reſolutionibus: Pighardi, inquit, noſtri uicini, hæretici, infœlix populus, qui fœtore Romano gaudet, ſicut Phariſæus ſuper publicanum, non autem compatitur. Scimus heu noſtrũ caſum, et dolemus: non autem ſicut hæretici fugimus, et ſemiuiuum tranſimus, tanquam alienis peccatis pollui timeremus: nos uerò, quo miſerius laborat Eccleſia, eò fidelius aſsiſtimus, et accurrimus flendo, orando, monendo, obſecrando: ſic enim charitas iubet, alterum alterius onera portare.

Neq; uerò neſcio, eum poſtea hanc cantionem lon-

gè contrario & acerbiore carmine commutaſſe, ſed importunis & abſurdis quorundam hominum aduerſum ſe ſcriptis incitatum atq; commotũ, quos diffiteri non poſſumus, huic miſerabili diſtractiõi Eccleſię magna ex parte occaſionem dediſſe. Quanquam ne poſterioribus quidem ſcriptis, cum à Pontificia bulla ferocior factus eſt, Romanam Eccleſiam, in qua Rom. pontifex imperium tenet, ueram eſſe Chriſti Eccleſiam negauit: quamuis eius gubernatores, ut Papam, Cardinales, Epiſcopos, Doctores, non eſſe Eccleſiæ membra, ſed tyrãnos & hoſtes proclamet. Ita enim ſcripſit ad lectorẽ de geſtis Auguſtæ: Quare ego coram te lector proteſtor, me colere & ſequi Rom. Eccleſiam, in omnibus: ſolùm illis reſiſto, qui nomine Eccleſiæ Romanæ Babyloniam nobis ſtatuere moliuntur. Item aduerſus Bullam: Romanę Eccleſiæ abundè ſatis eſt gloriæ, partem eſſe paruam uniuerſalis Eccleſiæ: curiæ potius Romanæ iſta bulla eſt, &c.

Et poſt comitia Auguſtana: Illa, inquit, uera Eccleſia Chriſti fundamentum et columna ueritatis eſt, locus ſacroſanctus, in quo ſtat abominatio: et in hac Eccleſia Deus miraculoſè et potenter ſeruauit baptiſmũ, textum Euangelii, remiſsionem peccatorum, ſacramentum altaris, ordinationem, claues, &c. Et in Germanico quodam libello, quem de fidei ſuæ confeſsione ſenex edidit, in quo Romanam Eccleſiam ſeu Papiſticam, ut uocant, horrendis uerborum tonitruis percellit, hæc tamen inter cætera loquitur: Non ſolùm agnoſcimus uos unà no-

nobiſcum ex uera Eccleſia prodiiſſe, uerumetiam dicimus uos in Eccleſia eſſe et manere: imò uerò in ea ſedere et regnare, quomodo Paulus dixit Antichriſtum in templo Dei (non in ſtabulo uaccarum) ſeſſurum eſſe: uerùm de Eccleſia, uel membra Eccleſiæ nō eſtis amplius,&c. Quæ non prorſus diſſentanea ſunt illis quæ ſuprà ex Auguſtino adduximus. Quomodo uerò atrociſsimis dictis conſentiant, in quibus non ueram, ſed Papiſticam, non Apoſtolicam, ſed apoſtaticam Eccleſiam, imò non Eccleſiam, ſed Synagogam ſatanæ, proſtibulum diaboli, archimeretricem, ſcolam inferni (et quis omnia illa præclara elogia enumerare poſsit?) appellat, non uideo: nec multum curandum, neq; mirandum puto, ſi homo humana paſſus ſit.

Calui. 3.

Hanc quoq; Ioannis Caluini, qui modò auctoritate apud ſuos Luthero non cedit, de Romana Eccleſia ſentētiam fuiſſe, uel ex Epiſtola ad Iacobum Sadoletum conſtat. ita enim ibi ſcripſit: At cuius arrogātiæ eſt, inquies, iactare penes uos ſolos eſſe Eccleſiam, et eam adimere orbi uniuerſo? Nos uerò, Sadolete, Eccleſias Chriſti eas quibus præſidetis eſſe nō negamus: ſed Pontificem Romanum cum toto pſeudoepiſcoporum grege immanes eſſe lupos dicimus,&c.

Hæc illi. Sed plures horum diſcipuli & ſectatores, ne id quidem admiſſuri uidentur. Nam ſuperioribus diebus inſignis quidam & ueteranus inter eos, ita diſertè ſcriptum reliquit: Nos nomen Catholicæ Eccleſiæ optimo

mo iure illis adimimus, nobis autem rectè uendicamus. Verùm ego credo, permultos in eo cœtu esse, quibus hæc posterior acerbitas tum Lutheri, tum sectatorum eius, minimè placeat: quiq; etiam, cùm à reliqui corporis societate reiecti ac pulsi uideãtur, societatem tamen et cõmunionẽ omnem Christianam cũ toto corpore, quàm latè patet, animo ac uoluntate colant. De quibus nobis nunc sermo est.

Eos uerò qui per impiam de Christo Ecclesiæ capite et fundamento sententiam, à Christo capite separantur, et falsa persuasione ab omni societate et cõmunione aliarum Ecclesiarum abstinẽtes, à Christi corpore se diuellunt, uerè hæreticos & schismaticos dicendos et habendos existimo, neq; ad ullam uel externam uel internam Ecclesiæ societatem pertinere puto: ut sunt uaria et multiplicia Anabaptistarum genera. Simplices tamen inter hos et specie pietatis in errorem inductos, ut neq; in Ecclesiæ societatem admittere, ita nec damnare prorsus ausim, sed Deo incorrupto iudici et mitissimo parenti iudicandos relinquo.

In quibus quicquid est uitii, cum id omne in errore animi et infirmitate iudicii positum sit, et cum nullo flagitio et scelere, sed potius cum exuperante quodam licet imperito pietatis zelo coniunctum, certè qui eiusmodi sunt, commiseratione potius et ope prosequendi, quàm
38 acerbis suppliciis persequendi uidentur. Illud modo curandum quod in longis et contagiosis morbis fieri conuenit,

uenit, ut & ſalutis eorum ratio habeatur, & ab aliis contagio prohibeatur, quod haud ita difficile eſſet ſi ſanioribus conſiliis locus ſit, ſed hæc alterius loci ſunt, ad inſtitutum reuertamur.

Quicquid igitur in utraq; hac Eccleſiæ parte, ſiue ea antiquo nomine Catholica, ſiue nuper nato Euangelica nuncupetur, integrum, ſanum, doctrinæ Euangelicæ & Apoſtolicæ traditioni cõſentaneum inuenio, id ut Chriſti Eccleſiæ proprium ueneror & amplector: eamq; Eccleſiam, quòd in fundamento ueræ & Apoſtolicę doctrinæ, quæ breuiſsimo illo fidei Symbolo continetur, conſiſtat, nec impio ſchiſmate à reliquarum Eccleſiarum communione ſe ſeparet, ueram Eccleſiam, ueræq; Eccleſiæ & Catholicæ Eccleſiæ Chriſti membrum eſſe iudico. neq; id tantum de Occiduis, ſed etiam Orientalibus Eccleſiis, ut Græcorum, eorumq; qui ipſorum inſtituta ferè ſequuntur, ut Ruthenorum, Syrorum, Aethiopum & Armeniorum ſentio: niſi me ab hac ſententia grauior auctoritas, rationesq; ualidiores dimoueant. Neq; ad hãc unitatem Catholicæ Chriſti Eccleſiæ diuellendam & diſtrahendam, Cæremoniarum aliquor & quæſtionum diuerſitatem ualere puto, modò in fundamento fidei cum capite Chriſto, & in ſincera charitate cum corpore eius quod eſt Eccleſia, communio & ſocietas retineatur.

In primis autem odi factionum illa odioſa & è Tartaro uſq; emiſſa nomina, cum hi alios Papiſtas, Antichriſtianos, Satanæ miniſtros, hoſtes doctrinæ Chriſti: illi

uerò contrà, hos Hæreticos, Schiſmaticos, Apoſtatas, Eccleſiæ Chriſti hoſtes appellant: ut quæ nihil aliud quàm exitiali ſchiſmati & miſerabili dilacerationi Eccleſiæ, pabulum & nutrimentum ſupped.tant.

Neq; uerò ita partium ſtudium uitandum puto, ut utraq; parte improbata, nouam quandam & ~~neutra~~lem (quam uocant) ſectam introducere uidearis: ſed eā tantum partium addictionem improbandam duco, quæ libertatem & æquitatē iudicandi præpediat, qua uidelicet à uitiis & erroribus, quibus neutra pars omnino immunis eſt, conſiderandis & reprehendendis auoceris: & ad ea quoq; quæ in altera parte recta & ſana ſunt aſpernanda. eamq; hoſtili animo perſequendam compellaris.

Quin potius hęreſibus, quę per impia de Chriſto dogmata à capite Chriſto, & nefario ſchiſmate ab eius corpore receſſerunt, damnatis, in utraq; hac parte quæ fundamentum religionis retinet ita uerſandum exiſtimo, ut ſi non per omnia in ritibus & ſententiis cōueniatur, charitatis tamen communio firmiter retineatur, & ad plenā quoq; ſolidamq; concordiam conſtituendam omni ſtudio contendatur. Hoc ego officium pii uiri, ſuæq; ſaluti conſultum uolentis, his perturbatiſsimis periculorumq; pleniſsimis temporibus, eſſe iudico Quòd qui præſtent, eos uerè pureq; Catholicos eſſe & dici poſſe arbitror. Namq; ~~religio~~ uera ſinceraq; inter duo mala mihi poſita & conſtituta uidetur.

Extant enim hodie potiſsimùm duo hominū genera: quo-

quorum alteri, quòd Ecclesiam non paucis maculis respersam, & paulatim contractis uitiis deformatam uidēt, omnem eius statum labefactatum & conuulsum cupiūt: & dogmata Lutheri, non quæ sanior adhuc & tranquillior, sed postea Bullæ impetu perculsus, irritatior & commotior, asseruit, quouis modo confirmanda & defendēda ducunt: id quod à suis sectatoribus (quos habet nec pauciores, nec obscuriores) Caluino quoq; accidit, quos fortassis rectè Anticatholicos & Lutheranos seu Caluinianos appelles.

Sunt alii ex aduersò, qui quòd non pauca ex ipsa antiquitate adhuc apud se reliqua uidēt, præsentem Ecclesiæ statum, quamuis corruptum, & paulatim subortis abusionibus cōtaminatum, omnino tamen suo loco manere uolunt, neq; quicquam, quamuis id ueterum decretis cōsentanee fieri possit, immutari patiuntur: pontificem uerò Romanū, quem Papam dicimus tantùm nō Deum faciunt: eiusq; autoritatem non modò supra totam Ecclesiam, sed supra ipsam Scripturam diuinam efferunt: & sententiam eius diuinis oraculis parem, imò infallibilem fidei regulā constituunt: hos non uideo cur minus Pseudocatholicos & Papistas appellare possis.

Inter hos qui maximè hodie in Ecclesia eminent, tertium quoddam genus hominum, quamuis ferè occultū & obscurum, reperitur: qui cum in alterutra parte uersari cogantur, tamen nulli parti ex animo addicti, quicquid utrobiq; rectum & Catholicæ fidei & obseruationi

consentaneum est amplectentes: quę uerò his contraria, & modum mediumq; (ut in contentionibus fit) excedentia deprehenduntur declinantes, ueram, sinceram & diuinis literis Catholicæq; Ecclesiæ traditioni congruentem pacem & concordiam omnibus uotis exoptant, et ad eam conciliandam omnem suam operam & studiū conferre parati sunt. Atq; hoc animo si plures in utraq; parte præditi sint, facilius & citius pax futura, et concordia coitura sit. Nam nisi talium hominum consilium ualeat, nulla conciliationis spes est: & tales si audiantur, de pacificatione desperandum non erit.

Sed proh dolor, in utraq; parte plures, iiq; potentiores, ita animo comparati uidentur, ut hostilem animum in se mutuo induerint: et cum pacem utrinq; optare uideantur, eam pacem uolunt, non quæ utraq; parte salua, mutua conciliatione & confœderatione constet, sed quæ cum alterius & aduersæ partis oppressione et deletione coniuncta sit. Videtur enim mihi hæc Ecclesiarum diuisio persimilis esse dissensioni ciuili, in qua pars altera ab iis qui Rempublicam tenent, corruptas leges, et iniquis se constitutionibus pressam questa, dum conditiones proponeret, repulsa & damnata, et quasi secessionem facere coacta est. Hinc Ecclesiæ, Republica in duas partes diuisa, crescente indies dissensione, res in atrocissimum odium et quasi ciuile bellum erupit, ita ut ex his plerique iniqua iam petere, illine æqua quidē concessuri uideātur.

Habet autē utraq; pars suos propugnatores, qui partis

tis ſuæ ſtudio incitati, quouis modo cauſam ſuam defendere & tueri conantur: et hoſtili animo aduerſam partem inſectantes, in ea perdenda et extinguenda omni ſtudio laborant: cum tamẽ in utriſq; caſtris boni et æqui uiri reliqui ſint, qui communis Reipublicæ amantes, ad pacem et concordiam mutuam, et Reipublicæ ad priſcas leges, quibus initiò conſtituta fuit, inſtaurationem omnia ſua conſilia et ſtudia conferunt.

Ex quo apparet, duobus modis in utrislibet caſtris aliquem uerſari poſſe: uno modo, ut unius partis propugnatorẽ, et alterius partis infeſtum hoſtem: altero modo, ut interceſſorem et pacificatorem, qui quamuis in alterius partis caſtris maneat, alteram tamen partem ut eiuſdem Reipublicæ membrũ amore proſequitur. Quare non ad eius euerſionem, ſed conciliationem potius et confœderationem cõſilia ſua refert: quo fit, ut qui in aduerſa parte prudentiores et æquiores ſunt, eum non ut hoſtem et inimicum, ſed ut ciuem et amicum habeant, fit quidem non rarò, ut feruente inter utroſq; pugna, utrinq; plagas accipiat: qui tamen ſi aliquando ſe collegerint, ardorq; ille pugnæ deferbuerit, benè ab eo ſibi conſultum, gratiamq; illi ſe debere fatebuntur.

Hic tamen apparet, quàm deploranda et periculi plena ſit conditio eorum, qui hanc uiam ingredi, ac pacificatorum munus tueri uolunt. Nam cum duæ hæ tanquam factiones uniuerſum penè Europæ Chriſtianiſmum inter ſe partiti ſint (quamuis altera in duas quoque partes,

easq; ferè pares, dissecta sit) fit, ut plerisq; in locis, acrioribus illis partium patronis gubernationem tenentibus, uix æquis his & moderatis hominibus locus detur: imò plerunq; utrisq;, aduersariorū loco habētur, & exilii, fortunarum capitisq; periculis exponuntur. Aegrè enim illi quenquam in sua societate admittunt, qui non per omnia illis cōsentiat, omniaq; apud ipsos recepta probet, alteramq; partem ut inimicam hostiliter oppugnet. Quāuis alia aliis loca hac in parte mitiora & æquiora sint, eaq; de causa tranquillitate quoq; maiore frui uidemus: quibus in locis præclarè cum huiusmodi pacis amantibus uiris agitur, si utcunq; quietæ sedes concedantur, quiut grauiora pericula euadant, leuitatis certè, inconstantiæ, timiditatis & adulationis notas uix effugiūt, cū illis utriq; parti aduersari, his uerò utriq; parti assentari uelle iudicētur: ad honores uerò, dignitates & opes cōsequendas, aditus ferè omnino illis intercluſus est, quò nisi magnatum & potētum fauore, quos sibi ferè partes uendicarūt, non peruenitur: sed præmia sibi in cœlesti Hierusalem, ciuitate æternæ perpetuæq; pacis, reposita esse sciant.

Inanis autem mihi eorum oratio uidetur, qui his Religionis dissidiis se à pietatis studio retardari & auocari queruntur. Satis enim ampla pietatis exercendæ materia in iis rebus, quibus in rebus utrinq; conuenitur, proposita est. Nam de fide in Christum mortuum & resuscitatum pro nobis collocanda, & charitate Deo & proximo exhibenda, controuersia nulla est. Porrò in his duobus capi-

capitibus pietatis ſumma conſiſtit. Quid enim eſt aliud pietas, quàm officium præſtare Deo? quòd officiũ quid aliud eſt, quàm eius obtemperare mandatis? Porrò mandata eius, Apoſtolo eius teſte, grauia non ſunt: uidelicet ex Deo natis, & eius ſpiritu præditis. Hoc eſt, inquit, mãdatũ eius, ut credamus in nomine filii eius IESV Chriſti, & diligamus alterutrum.

Non igitur pietas ſubtiles arduarum & difficilium quæſtionum diſceptatores, & curioſos latentium & abditarum rerum inueſtigatores: ſed ſimplices breuiſsimi uerbi, hoc eſt mortui & reſuſcitati Chriſti profeſſores, & fidos uoluntatis ſuæ executores requirit. Propè, inquit Paulus, eſt uerbum in ore tuo, & corde tuo: hoc eſt uerbum fidei quod prædicamus. Quia ſi confitearis in ore tuo Dominum IESVM, & in corde tuo credideris quòd Deus ſuſcitauit illum à mortuis, ſaluus eris, &c. Et idem: Nemini, inquit, quicquam debeatis, niſi ut inuicem diligatis. Qui enim diligit proximum, legem impleuit. Et ad Timotheum monet, non intendendum fabulis & genealogiis infinitis, quæ quæſtiones exhibẽt magis quàm ædificationem Dei, quæ eſt in fide: finem autem & complementum totius præcepti eſſe charitatem de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta.

Opportuna igitur & obſeruatione digna eſt oratio Irenæi, quæ extat lib. ii. de hæreſibus: Melius eſt, inquit, nihil omnino ſcientem quempiam, ne quidem unã cauſam cuiuſlibet eorum quæ facta ſunt, cur factũ, & credere

Deo,

Deo, et perseuerare in eius dilectione, quę hominem uiuificat, nec aliud quærere ad scientiam nisi IESVM Christũ filium Dei, qui pro nobis crucifixus est: quàm per quæstionum subtilitates et multiloquium in impietatem cadere. Cui et hæc Hilarii sententia cõsentit lib. x. de Trinit. In simplicitate fides est; in fide iusticia est. In confessione pietas est. non per difficiles nos Deus ad beatam uitam quæstiones uocat, nec multiplici eloquentis facundiæ genere solicitat. Inabsoluto nobis ac facili est æternitas, Iesum suscitatum à mortuis per Deum credere, et ipsum esse Dominum confiteri.

Non est igitur, quod quis uel inquietorum hominum contentiones, uel rerum credendarum et faciendarum difficultates et perplexitates, ignauiæ et impietati suæ prætexat. Sunt quidem nonnullæ quæstiones, quæ à curiosis et inquietis hominibus excitatæ, etiã doctis et piis uiris negocium faciunt. In his ea moderatio adhibenda uidetur, ut primum de iis nihil temerè, præsertim quòd sit manifesto Dei uerbo contrarium uel alienum, statuatur; neq; propria sententia contentiosè et pertinaciter obtrudatur et defendatur, dissentientes uerò non superbè et contumeliosè repellantur.

Atq; utinam his temporibus audiatur B. Augustinus, qui pios quosdam et religiosos uiros, de prædestinationis mysterio non satis inter se conuenientes, his uerbis commonefacit: Nunciatum est mihi de uobis, fratres, ab aliquibus qui in uestra congregatione sunt, et nos inde

uene-

uenerunt, quòd de hac re dissensiones in uobis sunt. Itaq; dilectiss. ne uos perturbet huius quæstionis obscuritas, moneo uos primùm, ut de his quæ intelligitis, agatis Deo gratias. Quicquid est autem quò peruenire nondum potest uestræ mentis intentio, pacem inter uos & charitatem seruantes, à Domino ut intelligatis orate; & donec res ipsa perducat ad ea quæ nondum intelligitis, ibi ambulate quò peruenire potuistis. Hæc admonet apostolus Paulus, qui cùm dixisset nondum se esse perfectum, paulo pòst ait: Quotquot ergo perfecti sumus, hoc sapiamus: id est, ita nos esse perfectos, ut nondum ad perfectionem quæ nobis sufficit, uenerimus. continuòq; subiunxit: Et si quid aliter sapitis, hoc quoq; Deus reuelabit: ueruntamen in quod peruenimus, in eo ambulemus. Philip. 3.

Huic consilio Augustini, imò uerò Apostoli, si quidam obtemperarent, melius & publicæ quieti, & suę tranquillitati consulerent.

Habet igitur hic pius animus, ubi feruente hoc æstu contentionum nonihil acquiescat. sed quia difficile est, ut non aliquando uiros præsertim literatos, hic æstus inuoluat: ea cautio & diligentia adhibenda erit, ut neq; præpostero pacis & quietis studio, uel nimio periculorum metu ueritatem prodat, & conscientiam lædat: neq; rursum inscito ueritatis zelo, uel tenera nimis conscientiæ prætextu, non necessariis de causis uel publicam pacem uel priuatam quietem perturbet.

Optandum quidem illud imprimis esset, ut auctori-

tate publica ea forma ecclesiæ cõstitueretur, in quam sa-
niores utriusq; partis merito consentire & in qua religio-
si utrimq; animi libenter acquiescere possint, sed id cum
neq; subito ob morbum inueteratum, neq; à quouis, sed
à summa tantum auctoritate & potestate præditis fieri
possit, priuatus interim homo, Præsentem Ecclesiæ in
qua uersatur statum, quatenus nihil impietatis cõtinet,
quamuis minus purum atq; florentem, boni consulet, ei-
usq; emendationẽ precibus & uotis apud Deũ exposcet.
Qui uerò eruditione & rerum sacrarum peritia præditi
sunt, etiam operam suam & studium, si quem modo eius
usum esse uiderint, ad Ecclesiæ constitutionem & instau-
rationem adiungent.

Hæc de officio boni piiq; uiri, sed priuati, nulloq; pu-
blico in Ecclesia munere fungentis, dicta sint. Eorũ uerò
qui publicum docendi & res diuinas administrandi offi-
ciũ tenent, alia ratio est. Ad eos enim præterea pertinet,
ut peruersas opiniones & falsos cultus, si quos in sua par-
te obtinuisse perspexerint, neq; ignauè dissimulãdo alãt,
neq; importunè insectando confirment: sed modò pru-
denter de iis corrigendis dispiciant, modò etiam si res fe-
rat, prophetico spiritu afflati liberè constanterq; apertas
diuinæ legis transgressiones redarguant, neq; ullum hu-
ius rei causa periculum defugiant: exemplo Zachariæ fi-
lii Ioiadæ, qui inductus spiritu Dei, populũ & Regem pa-
làm trãsgressionis & defectiõis accusauit: quare regis Ioę
iussu à populo in ipso templi atrio lapidatus occubuit.

Si

Si quis igitur huiuſmodi munere fungens, ſuæ partis Eccleſiam tyrannide preſſam, eamq; periclitantem inuenerit, non dubiũ quin apertè tyrannicis & impiis edictis, quibus aut falſa doctrina, aut impius cultus ſtabilitur, aduerſari, & pro ſuo officio intercedere debeat. Quòd ſi ea de cauſa ciuitate, hoc eſt Eccleſiæ eius cõmunione pellatur, non nego quin ſuis ſe armis, id eſt diuinis & Eccleſiaſticis ſcriptis aduerſus tyrannorum criminationes & perſecutiones tueri poſsit: itaq; tyrannidem ipſam qua Reſpublica premitur, non ipſam Rempublicam tyrannide preſſam oppugnabit quomodo olim Thraſibulus occupata Athenienſium Republica à tyrannis, profugis aliquot ciuibus collectis, tyrannis bellum intulit: non ut Athenienſium ciuitatem, ſuam patriam, euerteret, ſed ut eam in libertatem aſſereret. Quòd ſi, ut non rarò fit, à tyrannorum factione interimatur, habet exempla prophetarum: ut quorum imitatur facta, eorum quoq; præmia conſequatur.

Cum autem ſuprà de concordiæ et pacis ſtudio nonnulla dixerimus, hoc modò admonendum duximus, in ea concordia & pace concilianda id cauendũ eſſe, ne quę uis tranquillitas & quies, quæ etiã in ſumma ſeruitute & corruptiſsimo Eccleſiæ ſtatu eſſe poſsit, pro Chriſtiana pace ſuſcipiatur. Ea em̃ demum uera, ſolida & Chriſtiana pax eſt, quæ cum Dei gloria & uoluntatis eius obſecutione coniuncta, et ab omni corruptela cœleſtis doctrinæ & diuini cultus ſeiuncta eſt. Quare nequaquam hic

quorundam hominum, qui Reipublicæ consiliis adhibentur, studium probandum est: qui rerũ ordine inuerso, humanis diuina & terrenis cœlestia cedere uolunt: & religione tãquam Lesbia regula, ad præsentem qualemcũq; Reipublicæ statũ componendum & tuendũ, utendum censent: cum Rempublicã & Ecclesiã lapsam & deformatam, non ad religionis normam erigere & constituere, sed Religionem ad Reipublicæ & Ecclesiæ qualẽcunq; structuram farciendam & fulciendam inflectere & detorquere nituntur: eiq; peruerso & præpostero studio pacis & tranquillitatis publicæ nomen prætexunt: eoq; prætextu sumpto, omnes ad uitiorum correctionẽ & legum diuinarum instaurationem (sine quibus uera, solida & firma inter Christianos pax & concordia constare non potest) adhortantes, ut turbulentos, seditiosos et pacis publicæ perturbatores crudelissimè insectantur.

Sed de officio Principum & Pontif. quibus Reipublicæ et Ecclesiæ procuratio et summa administratio commissa est, nunc non est dicendi locus: quorum plerosq;, proh dolor, hodie uidemus, in curando hoc exitiali Ecclesiæ dissipatæ & dilaceratæ morbo, non bona consilia, neq; apta remedia sequutos. Nam cum à radice et causa morbi curatio fieri deberet, eam non modò non euellẽdam et resecandam, sed potius firmandam et stabiliendam curarunt: ea tantum quæ in præsens molestiam aliquam, quæ tamen salutaris esse poterat, adferebãt, auferre et è medio tollere statuerunt: et ut delicati ægri solẽt,

uera

uera remedia, quòd amaroris aliquid adiunctum habeāt, aſpernantes, temporariam tantum leuationem adhiberi uoluerunt. Quo factum eſt (quod in febricitantibus, aquæ potu feruorem morbi lenire uolentibus, fieri conſueuit) ut ad tempus nonnihil ægritudo leuari uideatur: ſed poſtea impetu maiore et cruciatu uehementiore recurrat, et periculoſius recrudeſcat. Cuius rei hodie triſte exemplum in ampliſsimo regno uidemus, in quo præpoſteræ huius curationis infeliciſsimus fructus perſpicitur.

Nec obſcurum eſt quantum momenti in Eccleſiæ morbis ſanandis in eo poſitum ſit, ſi Reges, Principes, & magiſtratus, officium ſuum quod Eccleſiæ Dei debent, et rectè intelligerent, et ſedulò exequerentur. Sed plerique omnes conſiliis et cohortationibus malè in hac cauſa conſultorum hominum uſi et incitati, nō aduerā morborum Eccleſiæ curationem, ſed ad partis cui prēſunt defenſionem, et aduerſariæ partis euerſionem, poteſtatem ſuam conuertunt. Sunt tamen nonnulli Principes, ſummo ſtudio et maxima animi propenſione Eccleſiæ ſuæ procurationi commiſſæ conſultum uolentes: qui cum omnino præſentem Eccleſiæ ſtatum correctionis alicuius indigere perſpiciant, in tantis opinionum uarietatibus, et animorum diſtractionibus, quid potiſsimùm ſequantur non uident: et multis grauibuſq; uitiis, quibus utraq; factio ſcatet, deterriti et debilitati, ab oīmi prorſus Eccleſiæ emendatione ſe cohibēt: qui fortaſsis eā emen-

dationem cum aliqua utilitate et successu suscipere possent, si æquiorum hominum, & hanc regiam quam utcunq; commonstrauimus uiam sectantium cõsiliis uterentur. Sed his non modò accessus ad principes interclu ditur, et auctoritas omnis adimitur: sed quoad fieri potest, cõtemptio et odium, leuitatis et timiditatis criminibus obiectis, uel suspicionibus iniectis, conciliatur.

Sed hæc huius loci non sunt. Priuati tantum hominis officium indicandum suscepimus: qui tamen non ita priuatæ suæ quietis rationem habere debet, ut non pro tempore & conditione sua in commune consulat: et in ea consolatione non rei familiaris conseruationem, non famam, non opes, non amicitias et cognationes, sed DEVM tantum et conscientiam ex DEI uerbo rectè instituram proponat. Quòd si consilii sui nullum usum esse uiderit, iuxta Propheticum dictum, in silentio et spe præsidium sibi et arcem collocet: exemplo piorum in Iudæa uirorum, qui Pharisæis et impiis pontificibus gubernationem tenentibus, populoq; tanquam naribus tracto impios duces sequente, ipsi taciti Scripturę oraculis instituti, et spiritus sancti afflatu edocti, redẽptionem Israelis expectabant.

Plura quidem et uberiora de hoc argumento dici possent; sed his paucis satis multa mihi dixisse uideor. Dedi enim operam quantum potui, ne quid prætermitterem, quod ad causæ expositionem ac confirmationem, et ad obiectorum anticipationem et refutationem pertineret.

Non

Non ignoro tamen, ab ingenioſis et acribus hominibus multa et ſpecioſa in aduerſam partem dici poſſe: quos ego rogo, et moneo cum Apoſtolo, ut ita commoueantur, ne nimia ira culpam ſibi accerſant: et animo trāquillo et pacato in cubilibus ſuis, rem cum animo ſuo expendant et cogitent. Quòd ſi omnino contrà dicendum putent, eundem quem ego animum, id eſt æquum, moderatum, amicum, et fraternum exhibeant. Nos contrà, ſi uita ſuppetat, aut leuioribus obiectis reſpondebimus aut etiam meliora docētibus et ſaniora monentibus libenter obtemperabimus. Nomen uerò noſtrum ea de cauſa addendum non putauimus, ut lectori liberius æquiuſq; iudicandi poteſtatem permitteremus, quæ præiudicio perſonæ non raro impediri ſolet.

FINIS.